

*rum argu-
mentum
desumptum
a variatio-
ne rei co-
gnoscendæ
& medii.*

bus cognoscendis varietas. Certe quæ visui ob-
ciuntur, cum substantia manente eadem, secundum
situm aut locum, aut alia quadam ratione acciden-
tali mutatur, non præferunt eundem colorem. Aqua
videtur subnigra, sed si in glaciem coalescit, alba est.
Iris obversa soli colorata est, recedente sole decolor.
Argenti massa alba est, ramenta nigra. Si quis stat
in litore, navem advertit moveri: at in navi con-
stituto ipsa navis quiescere, arces autem & oppida
moveri videntur. Eademque ratio eorum est, quæ
sub alios sensus cadunt, nam alium sæpe & saporem,
& odorem habent objecta integra, alium commi-
nuta, in quibus cum sensus vacillat, propagatur er-
ror, ut ipse intellectus decipiatur. Ad extremum
quoniam cognitio nostra per medium fit, multa
etiam facultati cognoscenti, & rei cognitæ inter-
venire possunt, quæ varietatem inducant. E. g. si res
ponitur in minori lumine, refert visui fuscum co-
lorem, si in majori, alium colorem, si in maximo,
rursus alium. Collum columbæ varie inflexum
alios atque alios colores repræsentat, & remus in
aqua curvus apparet, qui extra aquam rectus est.
Si quæ in rebus mixtura est, quantam illa, sodes, con-
ciliat varietatem iudicii? Nonne aliquando gusta-
mus aliquid, quod sit ex parte dulce, ex parte ama-
rum, a Græcis *ἰσόμερον* vocatum? Sique linguæ
aliquod incommodum accedit, e. g. cum arida est,
longe alio modo sapes discernit, quam cum affi-
citur modico humore. Ne quid dicam de rebus
secretioribus, quarum causæ non adeo perveſtiga-
tæ